

convertitur. Constat igitur locum hunc Augustini, tametsi in se alias difficile, ad suadendam prædeterminationem physicam nihil valere, imo potius contra eam posse non inefficaciter induci. Quia satis evidenter constat eum ibi sensisse Angelos sanctos perseverasse in gratia sine physica prædeterminatione; si autem vel ad unum actum liberum et supernaturalem voluntatis creatæ determinatio illa necessaria non est, profecto ad nullum actum creatum similiter liberum etiam supernaturalem necessaria est; quod si non est necessaria, profecto omittenda.

Aliter explicari potest differentia ab Augustino intenta in illo loco inter Angelos et homines; et inter homines perseverantes in natura integra, et lapsa: quod in Angelis (idemque semper intelligo de hominibus integræ naturæ) non præcessit ordine rationis gratuita et efficax electio ad gloriam, ac proinde nec gratia aut perseverantia in illa fuit præparata sanctis Angelis cum speciali intentione et efficacitate, quantum fuit ex parte voluntatis divinæ, sed indifferenter et uniformiter illis omnibus, tam bonis quam malis, proposita fuere media sine quibus perseverare non possent, et cum quibus possent et de facto facerent, si vellent, ita ut hac ratione dicantur relictæ suæ libertati, quia omnes æqualiter et sine peculiari protectione horum præ illis relictæ sunt, ut libere cooperarentur vel non cooperarentur gratiæ. Postea vero Sancti prævisi sunt perseverantes, et alii repugnantes, et ideo illi præ istis electi fuerunt. Atque hoc ipsum providentiæ genus inchoavit Deus cum hominibus, juxta hanc doctrinam, in statu innocentiae. In eis tamen communis lapsus omnium prævisus est, per quem omnes homines longe imbecilliores et infirmiores ad beatitudinem assequendam facti sunt, et ideo licet ex vi culpæ indigniores fuerint gratia Dei, tamen per occasionem in eis potuit efficacitas et liberalitas divinæ gratiæ magis ostendi, et ideo alium providentiæ modum ad salvandos homines ex massa illa corrupta Deus instituit, eligendo efficaciter quos voluit ad illum finem consequendum, eisque speciali providentia ita procurando justitiam et perseverantiam in illa, ut infallibiliter ab illa non deficiant. Et hac ratione dicuntur hi qui salvantur, non omnino suæ libertati relictæ quoad perseverandum, non quia tandem in ipso effectu perseveraturi non sint cum libero concursu suæ voluntatis, dicente Augustino, seu auctore libri de Ecclesiasticis dogmatibus,

cap. vigesimo primo, loquens de hominibus lapsis: *Ut non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est, et cælestis pariter adjutorii*; sed quia non ita permittantur hujusmodi electi sua libertate uti, ut non specialiter custodiatur per infallibilem Dei providentiam, ne in deteriorem partem declinet. Unde quando de aliis non electis dicitur non recepisse hoc donum, intelligendum est de hac speciali protectione Dei sine qua perseverare possent, sed de facto non perseverabunt. Et ideo, juxta modum loquendi Augustini (qui præ oculis habendus est), interdum dicuntur hi non posse perseverare, non quia absoluta potestate et auxilio sufficienti careant, sed quia prævisi sunt cum solo communis providentiæ munere non esse perseveraturos.

Duo vero objici possunt contra doctrinam Augustini sic explicatam. Unum est ex parte hominum salvandorum, quia tota illa specialis providentia, quam Deus habere dicitur cum hominibus lapsis qui salvantur, non excedit præparationem congruæ vocationis ad singulos actus necessarios ad salutem; at eandem necesse est habuisse sanctos Angelos ad perseverandum, quia neque Angeli sine vocatione perseverare poterant, neque ignorare potuit Deus in quibus futura erat congrua vel non congrua, neque aliunde quam ex mera voluntate ita illas distribuit; ergo nulla est providentia simpliciter necessaria hominibus lapsis, ut actu perseverent, quæ Angelis etiam necessaria non fuerit. Unde oritur altera objectio ex parte hominum reproborum, quia nihil apparet quo in hoc negotio specialiter priventur propter originale peccatum; solum enim negata est illis vocatio congrua ad perseverandum, quæ etiam negata est Adamo ante lapsum, et magis etiam Angelis.

Ad priorem partem responderi potest consequenter in hac sententia, ex parte divinæ præscientiæ esse quidem quamdam æqualitatem, quia præscientia conditionata Dei eadem est circa omnes voluntates, tam Angelorum quam hominum, in quocumque statu; tamen ex parte voluntatis posse constitui differentiam quoad intentionem et procuracionem (ut ita dicam) illius congruitatis, seu vocationis, quatenus congrua est. Nam respectu hominum electorum, non solum dat Deus vocationem congruam, præsciens futuram esse congruam, sed etiam intendens et procurans illam congruitatem ex vi illius intentionis, qua illos ad gloriam elegit. In Angelis vero

non est necesse discrimen ex parte voluntatis Dei antecedentis assignare, quia Deus ex se uniformiter omnibus providit de necessariis ad perseverandum. Quod autem ex infinitate suæ scientiæ præviderit quid unusquisque cum tali gratia acturus esset, non variat per se rationem doni et gratiæ; hæc enim maxime attenditur ex habitudine ad voluntatem. Et ex eodem principio, responderi potest ad alteram partem; nam Angelis malis nihil ex parte Dei denegatum est, quod sola Dei voluntate, et absque meritis, sanctis Angelis fuerit concessum; nam electio efficax ad gloriam sicut denegata est Angelis malis ante prævisa eorum opera, ita etiam bonis Angelis negata est. At vero in hominibus lapsis discretio in hoc facta est, et ideo Augustinus negationem electionis in reprobis, et alios effectus etiam negativos qui ex illa nascuntur, attribuit originali peccato, ut postea videbimus.

Hæc autem doctrina mihi non probatur, et ideo nec tribuendam esse censeo divo Augustino propter unius vel alterius loci obscuritatem, cum illam expresse non asserat, nec aliis locis doctrinæ ejus consentanea sit. Itaque censeo negotium prædestinationis et electionis divinæ eodem modo transactum esse in Angelis, quo in hominibus quantum ad gratuitam electionem et præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime salvati sunt quicumque sunt salvi. Omnia enim quæ de hac materia Augustinus disserit libris de Prædestinatione Sanctorum et de Dono perseverantiae, sanctis Angelis et hominibus communia sunt, ut constat ex descriptionibus prædestinationis, et probationibus quas affert in priori libro, capite decimo, et in posteriori capite decimo quarto, et nos in primo libro de Prædestinatione latius tractavimus. Et profecto verisimile non est, numerum, gradus et ordines sanctorum Angelorum, qui perpetuo cum Deo fuerunt regnaturi, quasi casu evenisse respectu voluntatis Dei, et non potius ex absoluta ejus præfinitione ac intentione. Supposita vero hac intentione, plane sequitur discrimen de vocatione congrua quibusdam data et præparata ex beneplacito Dei, et non aliis; quo admissio, non habet locum dicta Augustini expositio. Imo aliqui Theologi, quamvis neque in Angelis neque in hominibus ponant illam intentionem seu electionem præviam absolutam ad gloriam, nihilominus putant non posse negari gratuitam electionem ad vocationem congruam, eo ipso quod Deus ex certa præscientia ita res disposuit, ut uni

daretur vocatio quam prænovit illi profuturam, alteri vero daretur vocatio quam prænovit illi non profuturam; nam, moraliter loquendo, negari non potest quin prioribus majus beneficium collatum sit. Neque etiam est verisimile Deum non intendisse et directe voluisse eis facere tale beneficium, cum hoc ipsum maxime consentaneum sit bonitati ejus. Igitur ex hoc capite non recte declaratur differentia posita ab Augustino in illis capitulis.

Considerata igitur re ipsa, unum discrimen certo assignari potest inter Angelos vel homines naturæ integræ ex una parte, et homines lapsos ex alia, quod priores semel justificati summa facilitate potuerunt in gratia perseverare, posteriores cum magna difficultate, propter rebellionem carnis et alia impedimenta. Unde fit ut priores ad perseverandum non indigerint specialibus auxiliis prævenientis gratiæ, sed solis communibus pertinentibus quidem ad ordinem gratiæ, ipsi tamen justitiæ sibi inditæ quasi naturalibus et debitis. At vero homines in statu naturæ corruptæ indigent majoribus auxiliis prævenientibus, ita ut sine illis multo tempore in gratia perseverare non possint, cum solis communibus gratiæ auxiliis, ut l. 2, q. 109, latius tractatur. Atque ex hac sola differentia conatus sum, libro tertio de Auxiliis, capite 15, dicta Augustini testimonia explicare; et quia non omnino mihi ipsi satisfaciebam, attentius eadem testimonia iterum perlegi; et de illa differentia, difficultatibusque ex illa emergentibus, diu multumque cogitavi, et nihil fere novum invenire potui, quamvis possit doctrina ibi data amplius explicari.

Ad hoc autem adverto illud etiam auxilium majus, necessarium homini justo in natura lapsa ad perseverandum, nulli etiam denegari, quantum est ex parte Dei; hoc enim convincunt omnia quæ adduximus; neque id potuit negare Augustinus, cum ad fidei dogmata pertineat; tamen in modo obtinendi hoc donum ex parte hominum vel offerendi illud ex parte Dei potest intelligi differentia; nam quibusdam offertur cum magna limitatione, ita ut non offeratur nisi involvendo conditionem, si homo constanter et strenue se gesserit, faciendo quantum in ipso est cum gratia prius recepta, et ita utendo uno speciali auxilio, ut se dignum reddat alterius majoris, vel saltem orando et bene se disponendo illud impetret. Quod non solum verum est de internis auxiliis, sed etiam de externis, quæ multum ad perseverantiam confere-

runt, ut avertere occasione peccandi, et offerre bene agendi, compescere dæmones, et similia. Aliis vero liberalius hæc auxilia totumque hoc providentiæ genus tribuit Deus, vel tribuendo specialiora auxilia, nulla spectata eorum præparatione etiam ex gratia, præter ipsammet gratiam justificantem, vel sæpissime etiam replicando auxilia, etiamsi homines in bono usu priorum negligentis fuerint. Significat ergo Augustinus inter Angelos non fuisse hanc varietatem, quia nullum auxilium eis datum vel oblatum est ad perseverandum, nisi quod ipsamet gratia in unoquoque postulabat ad unum conversionis actum plene deliberatum, nam in illo solo actu constitit Sanctorum Angelorum perseverantia, et ita in executione, ut sic dicam, uniformis providentia cum eis servata est, quamvis in occulta intentione, præparatione ac præscientia Dei, beneficii diversitas negari non possit. Idem credit Augustinus de hominibus in statu naturæ integræ, quia, licet pluribus actibus et diuturno tempore perficienda esset, tamen propter facilitatem illius status non oportebat in modo providendi et dandi auxilia esse varietatem, sed unicuique conferrentur necessaria et debita suæ gratiæ et dispositioni, quamvis in prima vocatione et dispositione ad justitiam et primam gratiam sanctificantem, esset fortasse varietas ex solo beneplacito Dei. At vero in statu naturæ lapsæ, quia propter difficultates et impedimenta ejus vix salvarentur aliqui, si potestas ad perseverandum præcise conferretur cum solis auxiliis necessariis, et interveniente semper et in omnibus legitimo usu illorum, ideo oportuit in hoc statu, præter illum modum communem dandi potestatem perseverandi, ut perseverantia ipsa daretur. Hunc ergo modum vult Augustinus esse proprium electorum, et ratione illius ac præparationis ejus, dicit voluisse Deum ut salus justorum non nisi ad gratiam suam pertineret. Alium vero relinquit ut communem reproborum. Et quamvis potuerit Deus sola sua voluntate non dare reprobis majus subsidium ad perseverandum, quia in rigore non erat necessarium, neque eis debitum, tamen quia illo modo committuntur illi homines magno vel potius certo discrimini damnationis, ideo conatus est Augustinus justam aliquam causam hujus permissionis ex parte hominum invenire, scilicet peccatum originale; quæ causa in malis Angelis necessaria non fuit, ut ex dictis satis constat.

Atque ex hac doctrina videntur profecto et mens Augustini optime intelligi, et omnes difficultates tactæ sufficienter expediri, ita ut non oporteat circa singulas immorari. Una tantum insurgit difficultas, quia Augustinus vult in hoc statu naturæ lapsæ nullum omnino hominem de facto salvari cum sola potestate perseverandi, data illo restricto modo a nobis explicato; quod videtur incredibile, si est vera potestas. Merito enim dicitur necessarium ad perseverandum in hoc statu illud donum, sine quo in tanta multitudine hominum nullus perseverat; si autem necessarium est, profecto illi, quibus non datur neque offertur, dici non possunt habere sufficiens auxilium, nec veram potestatem perseverandi; præsertim quia multi perseverant vivendo in gratia brevissimo tempore; per breve autem tempus perseverari potest in gratia cum solis auxiliis communibus eidem gratiæ debitibus.

Respondeo imprimis hic non agere an omnia quæ dicit ibi Augustinus vera aut certa sint, sed solum explicare quomodo id quod dixit, sine physica prædeterminatione optime intelligatur. Unde non desunt homines docti quibus in ea universalitate Augustini sententia non placeat. Propter quod Catherinus suam introduxit sententiam, dicens præelectis dari perseverantiam illo singulari modo, reliquum vero vulgus salvandorum cum illo communi beneficio salvari. Et fortasse aliquid simile intendit Toletus in epistolam ad Roman., cap. 11, annotatione 4, cum ita inquit: *Augustinus existimat totum esse gratiæ, quia Deus facit hominem cooperari, et determinat arbitrium hominis, quia dat ut velle possit, et facit velle. Existimo tamen non semper id esse, sed sæpe juvat hominem ut velle et operari possit; quod autem velit et operetur, hominis est facientis quod est in se, quamvis non sine adjuvante gratia.* Cum enim hic auctor tribuit Augustino quod asserat Deum determinare hominis arbitrium per gratiam, non credo intelligi de determinatione illa physica, quæ usum liberum plane tollit, alioqui non fuisset dicturus: *Existimo non semper id esse, sed: Existimo nunquam esse;* quia in illa determinatione non datur medium (ut sic dicam), nam vel semper datur tanquam essentialis actioni creatæ, vel, si essentialis non est, nunquam datur ad actionem liberam. Determinationem ergo vocat specialem illam inductionem moralem ac singularem protectionem, quam in omnibus qui salvantur Augustinus

posuit. Toletus autem significat non in omnibus esse necessariam.

Ego vero opinor Augustini sententiam veram esse, quia nulli homines salvantur nisi præelecti a Deo, gratuito et efficaci decreto dandi illis gloriam, ex quo decreto nascitur ut omnibus illis peculiari cura Deus provideat modum quo infallibiliter gratiam et justitiam consequantur, quod est præcipuum Augustini intentum. In executione autem non omnibus confert eadem dona, nec cum omnibus servat eundem modum. Possumus tamen duo generaliter dicere. Unum est, multos salvari perseverando ante mortem longo et continuo tempore in gratia, et de his omnibus credibilius est non recipere perseverantiam sine majori protectione Dei, et pluribus prævenientibus auxiliis quam debeantur priori gratiæ, vel dispositioni hominis facientis quod in se est, etiam cum adjutorio gratiæ, quia hoc ipsum facere semper quod in se est, cooperando gratiæ per longum tempus, superat infirmitatem hominis lapsi, inter tot difficultates et angustias constituti, nisi frequentius præveniatur et sublevetur. Fateorque tale auxilium posse dici necessarium ad perseverandum longo tempore; eos vero qui illud non habent, habere nihilominus auxilium necessarium et moraliter sufficiens ad vitandum in particulari seu divisive quodcumque peccatum, et ad impetrandum a Deo majus auxilium quoties necessarium fuerit, et nihilominus, si sæpius non gratis et ultra communem providentiam præveniantur et custodiantur a Deo, non ita perseverare diu, quin interdum graviter labantur, moraliter loquendo. Atque hac ratione, quando perseverantia durat per longum tempus et sine gravi lapsu usque ad mortem, profecto non contingit sine extraordinaria protectione Dei gratis ex vi electionis collata, quæ neque in Angelis sanctis fuit, neque in statu innocentiae fuisset ita necessaria, et in hoc credo maxime versari differentiam ab Augustino positam.

De his vero qui parvo tempore perseverant in gratia ante mortem, verum quidem est non indigere specialibus donis internis ad perseverandum illo parvo tempore, præsertim quando repente accidit, vel in ea graves tentationes non occurrunt; semper tamen intervenit specialis Dei providentia, vel præordinando mortem tempore illo opportuno, vel compescendo dæmones ne gravius tentent, vel fortasse plus etiam juvando quam simpliciter necessarium sit. Qui etiam providentiæ

modus in Angelis locum non habet, nec fortasse haberet in statu innocentiae. Atque ita etiam in his constat differentia ab Augustino data, ex qua reliqua omnia, quæ ad difficultatem ostendendam proposita sunt, facile intelligentur.

CAPUT XXXVI.

EXPENDITUR SENTENTIA AUGUSTINI IN QUÆSTIONE SECUNDA LIBRI PRIMI AD SIMPLICIANUM, GUINAM DICTARUM OPINIONUM FAVEAT.

Inter tractatus quos Augustinus de divina gratia edidit, quem Episcopus scripsit, fuit hæc quæstio quam ad Simplicianum misit, ut ipsemet Augustinus, libro secundo *Retract.*, capite primo, scriptum reliquit, quo in loco totam illius quæstionis doctrinam tacite confirmat, dum ait, in ea laboratum esse pro libero arbitrio: *Sed vicit gratia Dei;* ex hac ergo quæstione etiam defensores physicæ prædeterminationis suam conantur confirmare sententiam; ego vero existimo esse hoc gravissimum testimonium Augustini pro nostra sententia, nullumque prædeterminationis vestigium in ea inveniri; et ideo licet in aliis libris hunc Augustini locum tractaverim, hic ex professo decrevi totam quæstionem per partes explicare.

Ad hoc autem præstandum me compulit Franciscus Davila, qui, tractans hunc locum, referensque ex illo a nobis colligi duplicem vocationem, congruam scilicet et non congruam, inter alia sic inquit: *Non possum autem graves alias viros non admirari, qui ut ista prælo mandarent, non advertunt dicum Augustinum in hoc loco, ubi de congrua et incongrua vocatione disputat, quæstionem ventilare, non definire. Cum enim ad explicationem propriæ sententiæ procedit, inquit: Et tamen intueamur superiora, et inde nostram, quantum ipse Dominus adjuvat, sententiam dirigamus. Quo patet ante ista verba propriam non protulisse sententiam. Unde et his verbis in margine additur: Conclusio quæstionis. Quia ab his verbis quæstionis decisionem et conclusionem exorditur.* Mox ejusdem Augustini tam antecedentia quam sequentia verba circa locum illum, qui in margine notatur conclusionis nomine, in suam sententiam inducit. Ex cujus doctoris verbis, nos imprimis libenter sumimus quod fatetur, distinctionem vocationis in congruam et non congruam tractari, et proponi ab Augustino in illa quæstio-